



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 15. Iudæi, qui sanguinem Chisti emerunt, lachrymas suas emere coacti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

ficatum. Ite Iudæi, destruite templum hoc. Quamensura mensi fueritis, remetietur vobis.

§. XV.

Iudæi, qui sanguinem Christi emerunt, lachrymas suas emere coacti.

His malis affecti Iudæi, ut saltem lacrymis, quod aliunde non possent, solamen aliquod inuenirent, consueuere, anniuersaria die, persoluto tamen pretio (cùm aliter non liceret) ea adire loca, lachrymas fundere, & miserè lamentari. Usque ad

S. Hieronym. in Sophon. cap. 1.

presentem diem, ait S. Hieronymus, perfracti coloni, post interfectionem seruorum, & ad extremum Filij Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem: & ut ruinam sua eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt: ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lachrymas suas. Videas in die, quo capta est a Romanis, & diruta Hierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq; obsitos, & in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante, ac radiante irascens eius, de Oliueti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem.

Adhuc

Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. Et dabitur aliquis, cum hoc videat, de die tribulationis & angustia, de die calamitatis & miseria, de die tenebrarum & caliginis, de die nebula & turbinis, de die tuba & clangoris? Habent enim & in luctu tubas; & iuxta prophetiam, vox solennitatis versa est in planctum. Ululant super cineres sanctuarij, & super altare destructum, & super civitates quondam muritas, & super excelsos quondam angulos templi, de quibus quondam Iacobum fratrem Domini precipitauerunt. Talibus lachrymis & lamentis luerunt Iudæi, qui causa fuerunt, ut non solum Petrus fletet amarè, sed etiam Dei Mater, & quotquot à cruce reuertebantur pectora sua percutientes. Ite Iudæi, & Christum, & Matrem Christi, & Apostolos, & omnes pios iubete plorare. *Qua mensura mensi fueritis, remetetur vobis.* Ite & vos, frigidi Christiani, qui viduis, qui pupillis, qui egentibus lachrymas duritiâ vestrâ excutitis; veniet & vobis tempus flendi, gemendi, lamentandi, ut eandem mensuram experiamini, quam vos alijs adhibuistis.

Matthi 7^o

2^o

T

S. XVI.